



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. D. Thomæ Delbene Marvbiensis, Clerici Regvlaris,
Sacrae Theologiae Professoris ... De Immvnitae, Et
Ivrisdictione Ecclesiastica**

Bene, Thomas del

Lugduni, 1674

B

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98676](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98676)

1631. in Adiacensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 98.*

Episcopus cum legitimâ causâ potest dare licentiam delationis armorum Clericis. Die 18. Iunii 1658. in Bilicastroensi: *lib. decr. Roccy, fol. 92. à tergo.*

Armorum prohibitorum gestatio, quamvis in Ecclesiis delictum sit, non est tamen de comprehensis in constitutione Gregoriana. S. Congreg. Episcop. in Salernitana, 30. Septembris 1616.

In prohibitionem venationis, vel delationis armorum, etiam prohibitorum, facta quibuscumque, etiam Clericis, non debet apponi poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, nec privatio privilegij Clericalis, sed aliæ poenæ Sacrorum Canonum. S. Congreg. Episc. 2. Aprilis 1601. & Liciensis, 18. Iunii 1602. & in Squillacensi, 15. Iulij 1603. & in alia Liciensi 5. Aprilis 1604.

Arma per Principes sæculares prohibita teneri non possunt, neque in Conuentibus Ecclesiasticorum, tam sæcularium, quàm Regularium. S. Congregatio Episcop. 4. Martij 1603.

Index laicus non potest in Ecclesia auferre reo arma prohibita sine licentia Episcopi. S. Congreg. Episc. in Sipontina, 12. Maij 1604. & in Salernitana, 30. Septembris 1616.

Affessor.

Affessor Archiepiscopi gaudet privilegio fori, non autem exemptione à gabellis. Die 14. Ianuarij 1630. in Panormitana: *lib. 2. decr. Paul. fol. 24.*

Domesticus Iudicis, vel assessoris, qui & ipse Iudex dicitur, maximè si sit electus ex necessitate in defectum Doctoratus Iudicis, non potest esse Aduocatus, vel Procurator coram eodem Iudice, vel assessore, sub poenis arbitrio S. Congreg. Episc. Civitatis Ducalis, 28. Octobris 1586.

Aromataria.

Regulares possunt exercere aromatarias pro eorum usu, & pauperum. Die 21. Novembris 1635. in Barcinonensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 237. à tergo.*

Clerici non possunt exercere officium aromatarij, neque in Hospitalibus, sine licentia Papæ, vel S. Congregationis. S. Congreg. Episcop. in Panormitana, 23. Aprilis 1591.

Regulares item non possunt aromatariam tenere, nisi pro seipsis. Quo casu visitari non potest à Protomedico. S. Congreg. Episc. 9. Ianuarij 1602. Sicut nec aliquam aliam artem, siue apothecam, nisi pro seipsis. S. Visitatio Apostolica, 29. Augusti 1637.

Permitti potest Regularibus, & Monialibus, præsertim pauperibus, vendere medicinalia suæ aromataria renouandæ gratiâ, maximè pretiis moderatis. S. Congreg. Episc. 26. Maij 1602. & 11. Octobris 1647.

Supradictum autem decretum Visitationis Apostolicæ non habet locum extra Urbem. Eadem S. Congreg. in Neapolitana, 5. Octobris 1646.

Idem dicendum de aliis locis piis. S. Congreg. Episc. in Mediolanensi, 30. Aprilis 1655.

Assassinus.

Rei criminis assassini non gaudent immunitate Ecclesiæ. Greg. XIV.

Antequam tamen sequatur effectus, qui pecuniam dedit propter homicidium, gaudet immunitate. S. Congreg. Episc. in Sarzanensi, 21. Febr. 1620.

Gaudet qui mandat, seu mandatum recipit, vel cooperatur propter pretium acceptum, vel promissum ad

fugiendum, seu vulnerandum; quia tales improprie dicuntur assassini. S. Congr. Episc. in Neapolitana, 25. Iun. 1601.

Auditor Episcop.

Auditor Episcopi Clericus coniugatus gaudet privilegio fori, etiam quoad personalia. Die 30. Aprilis 1626. In Lancianensi: in *Registro script. veterum.*

Auditor Camera.

Non habet facultatem absoluendi à censuris in causis violationis immunitatis ecclesiasticæ, nec cum reincidentia: nec concedere inhibitiones. Die 27. Ianuarij. Alatrina: *lib. 3. decr. Paul. 2. fol. 194.* Die 10. Ianuarij 1639. Grauinensis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 83. à tergo.* Die 1. Iulij 1642. Capritanensis: *lib. 3. decr. Paul. fol. 172. à tergo.*

Auditor Camera, & quivis alius Iudex Romanæ Curia non potest hodie cognoscere de causis externis in prima instantia, nec monitoria concedere ad extrahendas partes à suis domiciliis, neque de consensu Ordinarij, tum propter præiudicium iurij Metropolitanij, tum ne subditi vexentur inuiti. S. Congreg. Episc. in Liciensi, 30. Iulij, & 15. Augusti 1613.

Et si concedat, debet illa reuocare absque citatione partis, tanquam concessa de facto. S. Congr. Episc. in Terracineni, 2. Septembris 1622.

Auditor Camera inhibere non potest Episcopo, ne procedat contra Curatum non residentem, neque Ordinatio præcipere, ut admittat resignationem. S. Congreg. Episc. in Aquisensi, 6. Iulij 1613. & 7. Decembris 1645.

Nec absolvere iuste excommunicatum ab Ordinario, putà quia non paruit præcepto Paschali, neque cum præfatione termini ad parendum. Eadem S. Congr. in Bouineni, 7. Iunij 1652.

Auditor Camera est Iudex competens causarum quarumcunque Prælatorum, Officialium Romanæ Curia, Oratorum, Curialium, Notariorum Camera, & familiarium eorumdem, campforum, & mercatorum, ac pensionum, quamvis solutio alibi facienda esset. Est insuper executor omnium literarum Apostolicarum; ubi quidem nullus alius est deputatus executor, solus, ac privatiuè; ubi verò deputati sunt alij, cumulatiuè. Remissorias, & compulsorias dat, monitoria ad partes decernit, censuras promulgar, ac solus cognoscit de causis, & litibus ortis vigore obligationis Cameralis, & potest in partibus citare in prima instantia, non obstante decreto Concilij Trid. *sess. 24. cap. 20.* Pius IV. *const. 33.* Paulus V. *constit. 28.* & S. Episcop. Congr. in Pistoriensi, 18. Aprilis 1595.

Ordinarius quoque tenetur exequi citationes, & monitoria Auditoris Camera. S. Congr. Episc. in Pistrinensi, 18. Aprilis 1594. & in Feretrana 6. Augusti 1602. Auditor Camera inhibere non potest Metropolitanò, ne se ingerat in causis suffraganeis, vel subditorum eiusdem, tam motis, quàm mouendis. S. Congr. Episc. in Rhegiensi, 17. Septembris 1655.

Vide *Appellatio.*

B

Ballivus.

Ballivus Curia Episcopalis si inseruiat etiam Gubernatori, potest puniri ab eo, si deliquerit in eius seruitio. Die 23. Septembris 1653. in Forosemproniensi: *lib. 5. decr. Paul. fol. 22.*

Ballivus

Ballius Ciuitatis tenetur inferuire Curia Episcopali ad eius requisitionem. Die 23. Iunij 1648. in Narniensi: lib. 4. decr. Paul. fol. 53. à tergo. Vide verbum *Curia laicalis*, num. 4.

Baldachinum.

In Ecclesia nullus, neque Dominus loci, præterquam Episcopus, potest erigere baldachinum, & Episcopus omnibus Sacrorum Canonum remediis huiusmodi baldachinum omnino remoueri facere debet. S. Congregatio Episcoporum in *Boianensi*, 12. Ianuarij 1618. Etiam Episcopus esset absens. S. Congreg. Episcoporum, in *Mediolanensi*, 2. Augusti 1594. Episcopus erigere potest baldachinum, etiam in Ecclesiis Regularium, quando ibi de iure, vel consuetudine functionem aliquam Pontificalem, etiam cum sola Cappa facere debet. S. Congreg. Episcoporum, 16. Iunij 1603.

Baldachinum non potest erigi à Vicariis Episcopi, ipso absente, in Ecclesiis Monasteriorum Congregationis Cassinensis, inuitis Monachis. S. Rit. Congreg. 10. Iulij 1621.

Baldachinum non est parandum pro benedictione sponsi & sponse. S. Rit. Congr. 25. Febr. 1606.

Baldachini vsus permittitur Abbatibus Congregationis Cassinensis in tribus ad summum festiuitatibus anni, quibus solenniter celebrant, iuxta consuetudinem, modeste, sine pompa & auro. Vibanus VIII. epist. 101.

Banniti.

Regulares receptatores Bannitorum, & sicariorum incurrunnt penas priuationis officiorum, vocisque actiue, & passiue. S. Congreg. Episcoporum, in *Bertinorensi*, 27. Octobris 1603.

Banniti, & alij facinorosi non possunt in Ecclesiis, tam secularium, quam Regularium ultra triduum permanere. S. Congreg. Episcoporum, sub anno 1627.

Et fuit concessum Nuntio ad annum, vt illos extrahi faceret non seruata forma constitutionis Gregorij XIV. S. Congr. Episc. in *Neapolitana* 16. Martij 1601. & in *Tropienensi*, 2. Maij, & 12. Martij 1602.

Bannitos Ecclesiæ Romanæ in temporalibus subditos receptans, vel eorundem publicam prosecutionem impediens incurrit in penas à Gregorio XIII. constit. 65. *Tanta, tamque horrenda*; & à Sixto V. constit. 6. *Hoc nostri*, §. 1. inflictas.

Baricellus.

Baricellus Episcopi gaudet priuilegio fori. Die 25. Aprilis 1614. in *Romana*: in *registro*.

Baroncellus Episcopalis Curia gaudet priuilegio fori. Die 28. Iulij 1648. *Narniensis*: lib. 4. decr. Paul. fol. 55. à tergo.

Cognitio causæ homicidij à Baroncello Curia Episcopalis commissa spectat ad ipsum Episcopum, non autem ad Gubernatorem.

Baricellus Episcopi, cum sit de eius familia armata, gaudet priuilegio fori. S. Congr. Episc. in *Sorana*, 25. Aprilis 1614.

Baricellus Curia Episcopalis in eadem Curia syndicari debet, ideoque in eodem Tribunali in officij principio cautionem præstare tenetur. Eadem S. Congr. Ciuitatis Castellæ, 14. Aprilis 1615.

Sicut etiam satellites, & alij executores. Eadem S. Congr. in *Fulginatensi*, 1. Septembris 1651. & in *Astutensi*, 1. Decembris eiusdem anni.

Qui ad tiremes damnatus est à Curia seculari, non potest eligi ab Episcopo in Baricellum suæ Curia, quando condemnatio ab ipso non ignoratur. S. Congr. immunitatis Castellanae, 21. Decembris 1667.

Baro & Baronia.

Baronia Ecclesiæ in Regno Neapolis præpeditæ sunt recuperandæ. Die 12. Decembris 1651. in *Aprutina*: lib. 4. decr. Paul. fol. 169. die 3. Augusti 1649. lib. 4. decr. Paul. fol. 84.

Licet Baro non possit creare Officiales Clericos, vel alios Regi non subditos; fallit tamen in Baronia Ecclesiæ, quando consueua fuit creare Officiales Ecclesiasticos. S. Congr. Episc. in *S. Marci*, 23. Aprilis 1607.

Beneficium.

Clericus non tenetur ad onera laicalia pro bonis assignatis in dote Beneficij. Die 9. Decembris 1630. *Montis Alti*: lib. 2. decr. Paul. fol. 106. à tergo.

Bona, quæ assignantur pro dote Beneficij sunt immunia à quibuscumque oneribus. Die 27. Martij 1635. in *Firmana*: decr. Paul. fol. 221. lib. 2.

Per assequutionem beneficij non extinguitur patrimonium. Die 30. Maij 1628. Nullius: lib. 1. decr. Paul. fol. 95.

Post assequutionem beneficij patrimonium remanet immune ab oneribus. Die 16. Ianuarij 1635. in *Auximana*: lib. 2. decr. Paul. fol. 214.

Obtinens beneficia ad sustentationem non sufficientia patrimonium est immune. Die 7. Decembr. 1638. in *Auximana*: lib. 3. decr. Paul. fol. 80.

Post assequutionem beneficij patrimonium remanet exemptum quousque per Episcopum facta fuerit subrogatio. Die 10. Iulij 1640. in *Firmana*: lib. 3. decr. Paul. fol. 123. Ciuitatis Castellæ, die 5. Maij 1648. lib. 4. decr. Paul. fol. 49. à tergo: *Montis Alti*, die 15. Iunij 1649. lib. 4. decr. Paul. fol. 81.

Ordinarius pro collatione beneficij, tam in vim literarum Apostolicarum, quam autoritate ordinaria, in suis mensibus facta, nihil recipere potest pro se, vel Vicario, Notarius autem pro charta, scriptura, sigillo, & quolibet alio iure, quod ad eum spectaret, non amplius quam vnum ducatum de Camera, secundum quod resoluit S. Congregatio Concilij in *Placentina*, 25. Ianuarij 1577. & in *Recanateni*, 10. Ianuarij 1594.

Et pro Decretis prouisionum in forma dignum, à Notariis potest exigi merces congrua, ab aliis minimè, nisi modicum quid ratione sigilli, iuxta Prouinciæ consuetudinem. S. Congreg. Episc. in *Auersana*, 22. Ianuarij 1591.

Si sit Ecclesiæ consuetudo, vel statutum, vel Episcopus expresse dispenset, potest quis obtinere duo beneficia conformia sub eodem tecto, si alterum non sufficiat. Ad tria verò sub eodem tecto, quantumvis difformia, vel insufficientia, Episcopus dispensare non potest. S. Congreg. Episc. 2. Nouembris 1607.

Beretinum.

Beretinum in Missa, etiam extra Canonem à solo Papa concedi potest; quia caput Nullus 56. de consecr. dist. 1. etiam Episcopo prohibet velato capite celebrare, vel cum baculo accedere ad altare. Ergo neque secum, neque cum aliis dispensare potest. S. Rituum Congregatio 31. Ianuarij 1626. cuius decretum appositum postea fuit in principio Missalis.

Bigamus.

Clerici bigami ritu Græco viuentes non gaudent priuilegio fori, nec exemptione ab oneribus. Die 22. Augusti 1628. in Rossanensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 103. à tergo.*

Bigamus non gaudet priuilegio Clericali. Die 15. Ianuarij 1658. in Cotronensi: *lib. 5. decr. Roccy, fol. 54. à tergo.*

Clerici bigami non gaudent priuilegio fori. Die 17. Augusti 1655. in Bisigninensi: *lib. 5. lit. Paul. fol. 117.* Hydruntina, die 15. Ianuarij 1658. *lib. decr. Roccy, fol. 55. à tergo.* Tortonensis, die 17. Decembris 1658. *lib. decr. Roccy, fol. 144.* Alexandrina, die 30. Martij 1666. *lib. decr. Borromai, fol. 146.*

Bigamis nihil tribuitur, nisi quod est de iure. Die 22. Iunij 1666. in Cassanensi: *lib. decr. Borromai, fol. 165.*

Bigamus effectus bigamiâ interpretatiua, etiam si ante constitutus esset in Ordine Ostiarius, non potest mortuâ vxore dispensari per Episcopum, vt in ordine suscepto ministraret. S. Congr. Concilij in Feretrana, 13. Aprilis 1630.

Birruarius.

Birruarius Curie Episcopalis gaudet priuilegio fori, etiam respectu delictorum commissorum ante officium. Die 5. Iulij 1633. in Casertina: *lib. 2. decret. Paul. fol. 162.*

Gubernator prohibere non potest quominus birruarij Curie laicalis inseruiant Curie Ecclesiasticæ. Die 2. Septembris 1664. in Maceratensi, *lib. decret. Roccy, fol. 578.*

Bona acquisita per Ecclesiasticos.

Pro bonis acquisitis Clerici tenentur soluere onera realia. Die 26. Iunij 1628. in Maricensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 97.* Auximana, die 22. Ianuarij 1629. *lib. 1. decr. Paul. fol. 121.* Ferentina, in *fol. decr. Paul. Firmana Iesuitæ, die 9. Octobris 1529. lib. 2. decr. Paul. fol. 8.* Taurinensis, die 25. Aprilis 1634. *lib. 2. decr. Paul. fol. 189.*

Pro bonis acquisitis Clerici non tenentur ad onera personalia. Die 14. Augusti 1634. in Albanensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 189.*

Pro bonis acquisitis seruanda est decisio Rotæ in Brundisina, die 26. Martij 1629. in Taurinensi: *lib. 1. decr. Paul. fol. 132.* Faentina, die 2. Iulij 1647. *lib. 4. decr. Paul. folio 15.* Fanensis, die 20. Ianuarij 1637. *lib. 3. decr. Paul. fol. 22.* Montis Regalis, die 11. Augusti 1638. *lib. 3. decr. Paul. fol. 69.* Senogallienensis, die 27. Iunij 1634. *lib. 2. decr. Paul. fol. 194. à tergo.* Firmana Fratrum S. Dominici, die 11. Augusti 1631. *lib. 2. decr. Paul. folio 86.*

Bona Clericorum pro indiuiso cum fratribus sunt exempta pro virili. Die 6. Decembris 1627. *lib. 1. decret. Paul. fol. 75.* in Viterbiensi.

Bulla Pij IV. in statu Vrbinate non est in usu, & non tenentur nisi ad onera realia. Die 29. Ianuarij 1636. in Pisauriensi: *lib. 2. decr. Paul. fol. 242. à tergo.*

Bona Clericorum si præstantur feudalia, & ab eis negentur esse talia, cognitio dictæ qualitatæ spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. S. Congr. Immun. in Cassanensi, 9. Septembris 1631.

Bona Clericorum, Prælatorum, & quorumcunque beneficiorum, qui de eis testantur sine licentia Papæ, cadunt sub spolio, & pertinent ad Cameram Apostolicam. Pius IV. *const. 8. 26. Maij 1560.*

Bona acquisita à Clericis, & quibuscumque personis Ecclesiasticis ex illicita negotiatione, & à criminibus verita, cadunt sub spolio, & sunt Cameræ Apostolicæ. Pius IV. *const. 19. nonis Nouembris 1566.*

Bona Equitum Hierosolymitanorum ex illicita negotiatione parta non faciunt spoliū Cameræ, sed ad eorum pertinent Religionem. Pius IV. *const. 29. data sub 24. Martij 1561.*

Bona patrimonij ordinarij reputantur sicut bona Ecclesiastica, pro quibus Clericus tenetur experiri ceram Iudicis Ecclesiastico, sicut pro bonis beneficialibus. S. Congr. Concilij in Feretrana, 6. Augusti 1616.

Bona, ad quorum titulum ordinatus est Clericus, gaudent priuilegio bonorum Ecclesiasticorum, & ideo sunt exempta ab omnibus collectis, gabellis, & oneribus laicorum. S. Congr. Episc. in Cathartensi, 3. Augusti 1592. & in Montis Pelusij, 24. Martij 1599. & in Volturanensi, 13. Decembris eiusdem anni, & in Aquilana, 2. Maij 1601. & in Bisigninensi, 9. Martij 1604. & alibi sæpius.

Bona Hospitalium, & Confraternitatum potiuntur iisdem priuilegijs, ac bona Ecclesiastica. S. Congr. Episc. in Barensi, 30. Iunij 1617.

Bona peruenientia ad Clericum tunc tenentur ad collectas, quando collecta est certa, perpetua, & inuariabilis, ipsique bonis annexa. S. Congr. Immunitatis, 21. Aprilis 1640.

Bona indiuisa Clericorum, & Parentum.

Exemptio bonorum Ecclesiasticorum non suffragatur bonis ad matrem, fratrem, & sororem spectantibus. Die 14. Augusti 1634. in Albanensi, *lib. 2. decr. Paul. fol. 197.* Auximana, die 25. Ianuarij 1650. *lib. 2. decr. Paul. fol. 94. à tergo.*

Si coniuncti Ecclesiasticorum viuant cum ipsis, & impensis eorundem, sunt etiam exempti à collectis pro portione bonorum. Die 6. Martij 1635. in Aprutina, *lib. 2. decr. Paul. fol. 218.* Hydruntina, die 14. Iunij 1630. *lib. 2. decr. Paul. fol. 44.* Cavenensis, die 27. Aprilis 1632. *lib. 2. decr. Paul. fol. 123.*

Bona data pro erectione locorum piorum.

Bona data pro erectione Monasterij Monialium sunt exempta. Die 15. Ianuarij 1641. in Tropiensi: *lib. 3. decr. Paul. fol. 138.*

Bona assignata Capelle iurispatronatus sunt exempta. Die 11. Martij 1642. in Asculana: *lib. 3. decr. Paul. folio 168.*

Bona assignata pro dote beneficij erecti sunt exempta. Die 20. Ianuarij 1637. in Firmana: *lib. 3. decr. Paul. fol. 22. à tergo.*

Bona emphyteutica Ecclesiasticorum.

Bona emphyteutica Ecclesiasticorum non possunt à laicis collectari. Die 15. Februarij 1633. in Balneoreginensi, *lib. 2. decr. Paul. fol. 149. à tergo.*

Fundus patrimonij rerum emphyteuticarum non potest collectari. Die 27. Augusti 1627. in Capacensi, *lib. 1. decr. Paul. fol. 62. vide hic infra.*

Molendina, & alia ædificia Ecclesiæ sunt exempta. Die 15. Ianuarij 1647. in Montis Regalis: *lib. 4. decr. Paul. fol. 2. à tergo.*

Bona Ecclesiarum in emphyteusim concessa, sunt exempta ab oneribus laicalibus. Die 23. Iulij 1652. *lib. 4. decr. Paul. fol. 191.*

Cognitio causæ super bonis emphyteuticis Ecclesiasticorum spectat ad Iudicem Ecclesiasticum. Die 14. Ianuarij

Ianuarij 1634. in Montis Falisci: *lib. 2. decret. Paul. fol. 179.*

Emphyteuta Ecclesiæ non potest recedere à foro ecclesiastico. Die 14. Februarij 1628. in Casalensi: *lib. 1. decret. Paul. fol. 84.* Sacra Congreg. censuit Emphyteutam Ecclesiæ non posse declinare forum respectu solutionis canonis, val quando agitur de dominio Ecclesiæ: & statum, consuetudinem, vel edictum Principis secularis, quo prohibetur extractio fructuum extra territorium, non comprehendere Ecclesiasticos. In dicta Montis Falisci, 24. Ianuarij 1634. S. C. Immunitatis censuit cognitionem causæ super bonis emphyteuticis Ecclesiasticorum spectare ad Iudicem Ecclesiasticum priuatiuè quoad alios, etiam si dubitetur, dicta bona esse emphyteutica, cum ista cognitio spectet ad Ecclesiasticum: *lib. 2. decret. Paul. fol. 179.*

Dom. Oppidenfis Episcopus, die 23. Iulij 1652. Sacra Congreg. Immun. censuit bona Ecclesiasticorum, & locorum piorum in emphyteusim laicis concessa, siue canones, qui pro dictis bonis soluntur, sint tenues, siue fructibus correspondentes, esse exempta ab omnibus oneribus, & impositionibus laicalibus.

In dicta Capacensi, D. Secretarius cum Episcopo, quod ratione fundi emphyteutici non permittat collectari, *lib. 1. fol. 72.*

In dicta Imolensi, Marcus Rinaldus Ceronus, die 27. Maij 1654. Sacra Congreg. censuit emphyteutas bonorum Ecclesiasticorum gaudere exemptione ab oneribus.

Oppidenfis Episcopus, die 29. Maij 1646. S. Congreg. Immun. censuit emphyteutas bonorum Ecclesiasticorum gaudere exemptionibus ab oneribus laicalibus.

Bonatententia.

Clericus gaudere debet exemptione bonatententiæ, quamvis absens. Die 23. Martij 1638. in Fundana: *lib. 3. decret. Paul. fol. 56. a tergo.*

Clerici sunt exempti à bonatententia, Die 28. Maij 1626. in Tricacensi, *lib. 1. decret. Paul. fol. 2. a tergo.*

Clericus gaudet exemptione bonatententiæ pro bonis emptis, & donatis. Die 19. Augusti 1630. in Caertana: *lib. 2. decret. Paul. fol. 53. a tergo.*

Clericus quamvis inhabilis ad suscipiendos Ordines sacros, gaudet exemptione bonatententiæ. Die 6. Maij 1631. in Salmonensi: *lib. 2. decret. Paul. fol. 78.*

Bona Clericorum non tenentur soluere bonatententiam. S. Congr. Episc. in Barenfi, 10. Iunij 1616. & in Vgentina, 31. Augusti 1618. & 26. Ianuarij 1619. & in Brundesina, 15. Decembris 1623.

Bonatententia neque donatori, seu venditori, siue eedenti imponi potest; quia sic indecè Ecclesiasticis imponetur. S. Congregat. Episcop. 8. Decembris 1582. & 1583.

Breuia Pœnitentiaria.

Non suffragatur excommunicatis in foro exteriori, Vide verbo *Absolutio*, n. 10.

Munera, seu mercedem accipientes Officiales S. Pœnitentiariæ incidunt in penas statutas à Pio V. in *Constitut.* quæ incipit: *In omnibus.*

Bulla.

Gregoriana est obseruanda in Regno Sardinia. Die 30. Iunij 1632. *lib. 2. decret. Paul. fol. 131.*

Messanenfis est etiam obseruanda in Regno Sicilia. Die

29. Maij 1639. *lib. 1. decret. Paul. fol. 139.*

Bulla Pij V. *Dum ad Vberes*, pro Mendicantibus est obseruanda, Die 1. Decembris 1637. in Faentina: *lib. 3. decret. Paul. fol. 49. a tergo.*

Bullæ præsentatæ postquam fuerunt registratæ, vel relicta copia collationata, debent restitui. S. Cong. Episc. in Narniensi, 25. Ianu. 1593. & in Ianuensi, 17. Novembris eiusdem anni, & in Sueffana, 4. Iunij 1655.

Episcopus cogere debet beneficiatos quoslibet, licet tenuissimi redditus, ad expediendas Bullas, dummodo ipsi nullum exinde resuler emolumentum, nec canonizet iuspatronatum non satis probatum. S. Congregat. Episc. in Rossanensi, 15. Ianuarij 1616.

Blasphemator, & Blasphemia.

Blasphemator seipsum accusans euitat pœnas temporales. S. Congr. Episc. 13. Iunij 1578. in Interamnenfi. Blasphemia est mixti fori. S. Congr. Episc. 16. Octobris 1607.

Etiam in cogendo testes laicos recusantes ferre testimonium in foro Ecclesiastico, etiam per censuras, in subsidium. S. Congr. Episc. 23. Ianuarij 1609. in Caertana. In causa Hebræi, qui profana quædam, & execranda in Christum impuro verba protulit ore procedat, si præuenit Ordinarius, non obstante inhibitione Inquisitoris. S. Congr. Episc. in Carpenteratenfi, 16. Novembris 1621.

Ordinarius debet sibi reservare casum blasphemiae, præsertim hereticalis, non solum quoad blasphemantes, sed etiam quoad audientes, & non reuelantes, & imponendo etiam alias graues pœnas, quas postea exigat cum seueritate; parcendo tamen accusatori, licet esset principalis. S. Congr. Episc. in Interamnenfi, 17. Iunij 1578.

C

Camerarius.

Episcopi Camerarij gaudent priuilegio fori, & immunitate ab oneribus personalibus. Die 11. Decembris 1614. in Valionensi.

Cadauera.

Exhumari non debent pro capienda informatione, absque licentia S. Congregationis Episc. in Alysina, 17. Decembris 1602. & in Sutrina, 5. Iunij 1604.

Candela.

Candela in die Purificationis B. Virginis non debent recipi de manu Syndicorum, vel aliorum laicorum, sed Episcopi. S. Congr. Episc. in Hierachenfi, 22. Ianuarij 1577. & 10. Ianuar. 1653.

Qui laici neque se ingerant in eis ponderandis. S. Congregat. Episcop. in dicta Hierachenfi, 15. Ianuarij 1678.

Canonica portio.

Quartarum locatio, siue affectus, debet sub granibus pœnis inhiberi. S. Congr. Episc. 14. Decembr. 1592. in Consentina.

Quando Barones, & aliæ similes personæ moriuntur extra Diocesim, vbi habent feudum, & Baroniam, Regaliæ dari debent Episcopo, in cuius diocesi situm est feudum, licet Baro haberet domicilium alibi,

B 2 nisi